RUPERTUS TUITIENSIS
Österreich oder Süddeutschland, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 117r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25999
Copyright: Admont, Benediktinerstift



babylonis rege tercia uice iam uicto significatam esse intelligeremus perfectam
uictoriam regis celi. confitente ipso cum iam tercia confessione dicit. quia potestas
eius potestas sempiterna. et regnum eius in generationem et generationem. et omnes
habitatores terre apud eum in nichilum redacti sunt. VIIII.

Fuit vero quod autem est ut tota destruatur ciuitas diaboli et sub celo pereat. que
ciuitati dei uiuentis aduersata est. et usque in finem seculi aduersari non desi
nit. Sequitur quod pulchro satis quia mystico ordine illa que a medis et persis fac
ta est euersio babylonis. eius que cum rege suo iherusalem illam destruxit terrenam.
in qua uocatum est nomen dei uiuentis. et populum dei captiuauit. Balthasar rex
fecit grande conuiuium optimatibus suis mille. et unusquisque bibebat secundum
suam etatem. Et cetera. Ibi maxime propositi nostri uel intentionis nostre figimus
oculum. ubi apparuerunt inquit digiti quasi manus hominis scribentis con
tra candelabrum in superficie parietis aule regie. et rex respiciebat articulos
manus scribentis. Tunc regis facies commutata est. et cogitationes eius perturbabant eum. et compages renum eius dissoluebantur. et genua eius ad se in
uicem collidebantur. Quid enim illa manus innuit. Nimirum qui per lapidem
abscisum de monte sine manibus in primo. qui proprio nomine suo in secundo. quique
nomine uigilis et sancti in tercio. idem ipse filius dei xpc per manum scribentem in isto
designatur capitulo quarto. Manus enim. id est dextera patris semetipsam
exercet ad iudicandam impietatem babylonis spiritualis ad destruendum
inimicum sibi regnum mundi. scribens immo iam scripta ducidum habens que
cumque mala babylon ista sanctis eius intulit. Et notandum quod in medio conuiuii
manus illa in nocte apparuit. et iam temulentorum regis et optimatum eius
securitatem uisione horribili fortiter conterruit. Sic enim repentina et inpro
uisa dies illa securis et contemptoribus dei superueniet. ipso testante cum dicit.
Et sicut factum est in diebus noe. ita erit in diebus filii hominis. Edebant et bibebant.
uxores ducebant et dabantur ad nuptias. usque in diem qua intrabat noe in
archam. et uenit diluuium et perdidit omnes. Igitur cum balthasar rex grande
conuiuium fecisset. et unus quisque secundum suam biberet etatem. cum biberet ipse
et optimates eius. uxores et concubine eius. cum biberent uinum. et laudarent
deos suos aureos. argenteos. ereos. ferreos. ligneos. et lapideos. in eadem
hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candela
brum in superficie parietis. scribentis in quam peccatum. iudiciumque et iram
secundum peccata superbie babylonis. quia secundum hec erit qua die filius
hominis reuelabitur. et babylon ciuitas diaboli. ciuitas confusionis. san
guine sanctorum ebria meretrix eadem eius reuelatione iudicabitur. Et illius